Universitätsbibliothek Paderborn

Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei declamatoribus admodum vtilis et necessaria

Ammiani, Sebastiano

Venetiis, 1562

Gaudium sanctorum in caelesti patria prouenit ex quatuor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30415

Visual Library

In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire
1.Cor.1 & noſſe me, &c. Cor. Qui gloriatur
in domino glorietur, &c. Secunda
eſt, gloriatio conſcientiæ. Vnde Pau
2.Co.1. lus. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimoni
conſcientiæ noſtræ. Tertia in fructu
2, Co,1. profectione. Paul. ad Corinthios ait.
Gloria ueſtra ſumus, ſicut & uos no
ſtra; maiorem horum non habeo glo
riam, quàm ut audiam filios meos in
ueritate ambulare. Quarta eſt, in tri
bulationis exaltatione. Vnde Paulus
Rom. 5. ad Romanos ait. Gloriamur in tribula
Bern. tionibus, &c. et D. Bernardus. Gloria
ſanctorum eſt in pręſenti cruciari, &
in æternum gloriari.

Gaudium ſanctorum in cæleſti atr i a prouenit ex quatuor.

Iſa. 33. PRimo à Dei uiſione. Iſa. 33. Re
gem in decore ſuo uidebunt.
I.Io. 3. Et Ioan. in ſua can. Videbimus
eum ſicuti eſt. Et nota, quòd in uiſio
ne regis, duplex gaudium erit electis.
Primum erit in uidendo faciem Dei
ſecũdum diuinitatem, quòd erit ſum
Io. 17. mum gaudium. Ioan. Hęc eſt uita
æterna, ut cognoſcant te uerum De
um, ſolum, & quem miſiſti Ieſum

Chriſtum, &c. Pſal. Faciem tuam domine requiram. Et Pater Auguſtinus: Videbimus te domine, & tanto unuſquiſque perſpicacius, quanto hic uixit purus. Et D. Bernardus: O quanta claritas, quanta ſuauitas, quantaq; iucunditas erit in illa uiſione, quando Deum facie ad faciem uidebimus, qui eſt lux illuminatorum, requies exercitatorum, patria redeuntium, uita uiuentium. Secundo erit in uidendo humanitatem Chriſti. Bernar. Plenum prorſus omnis ſuauitatis dulcedine uidere hominem hominis conditorem, quæ cor hominis totum replens, & ſatians. Secundo a loci amœnitate à quo proueniet triplex gaudium. Primum erit à claritate loci. Apoc. Ciuitas illa non eget ſole, neque luna. Secundum à loci puritate. Apoc. Non intrabit in eam aliquod commune. Pſal. Non habitabit in medio domus meę qui facit ſuperbiam. Et bene ſuperbia coinquinat hominem, ſicut dicit quidam Philoſophus. Inquinat egregios aduincta ſuperbia mores. Tertium erit à loci latitudine. Baruc. O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus. &c. Et Ioã. In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Tertio à ſocietate, à qua proueniet triplex gaudium. Primum erit

Pſa. 26. Auguſ. Bern. Bern. Apo. 21 Apo. 22 Pſ. 100. Bar. 4. Ioan. 24

Apoc.7 ex multitudine. Apoc. Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. Secundum ex nobilitate illius ſocietatis. In illa nanque ſocietate erit beata uirgo, & omnes ſancti, & ſanctæ, & Angeli, & Archangeli, qui
Sap.28. omnes reges, & reginæ erunt. Vnde filius Dei dicitur ueniſſe à regalibus ſedibus. Tertium erit de unitate illius ſocietatis, tanta erit charitas inter animas illas quòd gaudia aliorum
Bern. ſua reputabunt. Vnde D. Bernardus. Vna erit omnium lingua, iubilatio indefeſſa, unus affectus, & æternus amor. Gregorius. Propter magnam charitatem, hereditas illa, omnibus una eſt, & ſingulis tota. Et Ber-
Bern. nardus. Quieta erit, & concors carnis, & ſpiritus ſuauitas, Angelorum & hominum unum erit gaudium. Quarto à corporis glorificatione à qua proueniet triplex gaudium. Pri-
Mat.13 mum ab eius pulcritudine. Matt. Fulgebunt iuſti ſicut, &c. Secundum ab eius libertate, quia ubi uolabit ſpiritus, ibi erit protinus & corpus. Tertium ab eius impaſſibilitate, quia nullam moleſtiam ſuſtinebunt, ſed magnam requiem habebunt, ut dicit D.
Bern. Ber. Erit eis requies à laboribus, ſecuritas à ſolicitudinibus, & pax ab hoſtibus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN